



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Universitätsbibliothek Paderborn**

### **Conciliorvm Omnivm Generalivm Et Provincialivm Collectio Regia**

Ab anno MCCCXVI. ad annum MCCCCXXIII.

**Parisiis, 1644**

Prima Sessio Post Missam Papae, Sev Tertia In Ordine Sessionvm.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-15653**

vnio ecclesiae Dei ad extirpationem praesentis schismatis. Et dum legebat illam clausulam in prescripta schedula, Spondeo, promitto, voueo, & iuro Deo, flexit genua versus altare, ponendo manus ad pectus, & dixit haec verba: Et ita promitto obseruare. Quo facto, imperator surgens de sua cathedra, regratiatus fuit eidem domino nostro nomine Concilii & suo, flectendo genua, deponendo coronam, & osculando pedes eiusdem domini nostri. Et etiam dominus patriarcha fuit regratiatus eidem nomine Concilii. Post haec cantores incepérunt cantare: Te Deum laudamus, &c. Et procurator Concilii, Ioannes de Scribanis, petiit nomine Concilii confici publicum instrumentum a protonotariis & notariis ac scribis sedis apostolicæ.

*Et ex post de mandato domini nostri fuit super praemissa schedula oblationis, una bullæ confecta.*

PRIMA SESSIO POST MISSAM PAPÆ,  
SEV TERTIA IN ORDINE SESSIONVM.

\* Martis 26. **D**IE \* Lunæ vigesima quinta mensis Martii supradicti fuit sessio generalis, in qua præsidebat dominus Petrus cardinalis Cameracensis, tituli sancti Chrysogoni presbyter cardinalis, qui dixit officium Missæ, in qua rex Romanorum in habitu imperiali fuit cum suis nobilibus, prout decuit regem Romanum: cui regi assistebat dominus Franciscus cardinalis Florentinus, diaconus cardinalis tituli sanctorum Cosmæ & Damiani. In qua quidem sessione cantata Missa de Domina nostra de annuntiatione, factum fuit officium litaniarum cum introitu, Exaudi nos Domine, quoniam benigna, &c. & collecta pro pace.

Subsequenter dominus cardinalis Florentinus iuxta deliberationem sanctæ Synodi pronuntiauit certos articulos, sive constitutiones, seruandos ad perpetuam rei memoriam, quorum tenores sequuntur.

*Primitus tamen oratione lecta, quæ fuit sumpta de libro pontificali. Tenores vero dictæ orationis & constitutionum lectarum sequuntur, & sunt tales: Ecce sanctissimi sacerdotes, præmissis Deo precibus, fraternitatem vestram cum pia exhortatione conuenio, & per diuinum nomen obtestor, ut ea quæ a nobis de Deo & sacris ordinibus vel sanctis moribus nobis fuerint dicta, cum omni pie-*

tate suscipiatis, & cum summa reverentia perficere intendatis.  
Quod si forsan aliquis vestrum aliter quam dicta fuerint, senserit,  
sine aliquo scrupulo contentionis in vestrorum omnium copulatione,  
& ipsa de quibus dubitauerit, conferenda reducat, qualiter (Deo  
auxiliante) aut doceri possit, aut doceat. Deinde vos obtestatione  
obsecro, ut nullus nostrum in iudicando aut personam accipiat, aut  
quomodolibet favore vel munere pulsatus, a iusto iudicio scienter a-  
uertatur aut discedat, sed cum tota pietate quidquid cœtui nostro se  
iudicandum intulerit, pertractare curet; ut nec discordans contentio  
ad subversionem iustitiae inter nos locum inueniat, nec in perquiren-  
da æquitate vigor nostri ordinis, vel solicitude tepestat.

Qua exhortatione facta, idem dominus cardinalis Florentinus,  
iuxta deliberationem Concilii & Synodi prædictarum, pronun-  
tiavit constitutiones quæ sequuntur, videlicet has.

Ad honorem, laudem & gloriam sanctissimæ Trinitatis, Patris & Filii & Spiritus sancti, pacemque in terris hominibus bonæ voluntatis diuinitus promissam, in Dei ecclesia consequendam, hæc sancta Synodus, sacrum generale Concilium Constantiense nuncupata, pro reformatione & unione dictæ ecclesiæ in capite & in membris fienda, in Spiritu sancto legitime congregata, decernit, declarat, diffinit & ordinat, ut sequitur.

Et primo, quod ipsa Synodus fuit, & est rite & iuste conuocata ad hunc locum ciuitatis Constantiensis, & similiter recte & rite & iuste initiata & celebrata.

Item quod per recessum domini nostri papæ de hoc loco Constantiensi, veletiam per recessum aliorum prælatorum, seu aliorum quorumcumque, non est dissolutum hoc sacrum Concilium, sed remanet in sua integritate & auctoritate, etiam si quæ ordinationes factæ essent in contrarium, vel in futurum fierent.

Item quod istud sacrum Concilium non debet dissolui, neque dissoluitur usque ad extirpationem præsentis schismatis, & quousque ecclesia sit reformata in fide & moribus, & capite, & membris.

Item quod ipsum sacrum Concilium non transferatur ad alium locum, nisi ex causa rationabili, & de consilio huius Concilii deliberanda & concludenda.

Item quod prælati, & alii qui debent interesse huic Concilio, non recedant de hoc loco ante finitum Conci-

lium, nisi ex causa rationabili, examinanda per deputatos, seu deputandos ab hoc sacro Concilio. Quia causa examinata & approbata, possunt recedere cum licentia huius vel illorum, qui habet vel habent auctoritatem: & tunc recedens teneatur dimittere potestatem suam aliis remanentibus, sub poenis iuris, & aliis per hoc sacrum Concilium indicendis, & in contrarium facientes exequendis.

Super his autem articulis lectis & approbatis per cardinales & Concilium, magister Henricus de Piro, promotor & procurator Concilii, nomine totius Concilii & imperatoris petiit instrumentum.

## S E S S I O I V .

in ordine.

**D**IE Sabbati trigesima & penultima mensis Martii su-  
pradieti, fuit sessio generalis in ecclesia cathedrali  
Constantiensi prædicta; & celebrauit Missam de Spiritu  
sancto dominus patriarcha \* mane ante prandium, in qua  
Antiochenus: in qua sessio- fuerunt ducenti patres, &c. Et  
ne fuit Romanorum rex in fuit ibidem peractum officium de  
habitū & insigniis ad regem Spiritu sancto, cuius officii Mis-  
Romanorum spectantibus; fiam celebrauit dominus patriar-  
& cardinalis Florentinus cha Antiochenus. In qua sessio-  
pronuntiauit articulos & ne fuit Romanorum rex in ha-  
constitutiones sequentes: bitu & cum insigniis ad regem  
Romanorum spectantibus. Nec non reuerendi patres domini Iorda-

\* Calancho nus de Vrfinis, Angelus Laudensis, Antonius de \* Salancho, An-  
tonius Aquileiensis, Amadeus Salutarum, Ludouicus de Flisco,  
Guilielmus sancti Marci, Alamannus Pisanus, Franciscus Flo-  
rentinus cardinalis. Officio vero Missæ facto, legebantur litanie  
cum introitu, Exaudi nos Domine. Quibus factis, statim do-  
minus cardinalis Florentinus legebat quasdam constitutiones ser-  
uandas per Concilium, quarum tenores sunt inserti inferius. Qui-  
bus lectis & approbatis per generalem Synodum, sive Concilium,  
Henricus de Piro procurator & syndicus nationis Germanicæ,  
petiit sibi fieri nomine dictæ nationis a nobis notariis Concilii, &  
eorum quolibet, ipsius Concilii nomine, unum vel plura, publicum  
seu publica, instrumentum seu instrumenta. Sic similiter procurato-  
res & syndici omnium nationum, regis Romanorum, universita-  
tum studiorum, & ambasatorum, praesentibus ibidem illustribus  
princi-